

AT
IXI

36d

37
Ba

George Frederic
de Boottell

+

COLLĒGII ³⁵ 37
POLITICI
DISPUTATIO SEXTA,
De
MAJESTATE,

Quam
In Florentissimâ, Celeberrimaq; Mar-
chicorum Academiâ,
DEO Ter optimo Maximo adspirante,
Nobilissimâ Facultate Philosophicâ suffragante,
PRÆSIDE

VIRO Praclarissimo
Dn. M. ELIA GREBENIZ,

Regiomonto-Marchico, Fautore & Præce-
ptore suo ætatem devenerando,

*Ex Prælectionibus Ejusdem collectam dispu-
tandam proponit*

ad diem 8. April. loco horisq; constitutis,


GUILHELMUS FRIDERICUS à KALCHUM
cognomine LEUCHTMAR,



Prelo ERASMI RÖSNERI, An. 1654.

COPIA
BIBLIOTHECAE
MAGISTRI
DAVID GRUBER
KALCHUM
1754





Uantum momenti atq; ponderis in Magi-
stratu situm sit, haut obscure innuerunt,
qui in Vita Humanâ & moribus ad Lumen
Naturæ conformandis & expoliendis ope-
ram collocantes Rempublicam cum Corpore compo-
suerunt: Quippe, quod in Corpore caput est, hoc in
Republicâ Magistratus, quodq; ibi membra, hic sub-
diti; Quemadmodum item à Capite sensus & motus
omnis in ceteros artus diffunditur: Ita à Magistra-
tu in subiectum populum vigor & spiritus omnis di-
manat. Ea propter illi, qui animum ad curam Rei-
publicæ adpulit, atque adeò Medici cuiusdam adin-
star, temperamentum & qualitatem sanandi corpo-
ris probè investigaturi, Republicæ naturam oculis
in superficiem defixis rimandam suscepit, faciendum
videtur, ut, cæteris omnibus posthabitis, ad Magi-
stratus intelligentiam cogitationes suas conferat. Po-
steaquam igitur Rempublicam pro re natâ in ge-
nere meditati sumus, ex usu tele pertexenda duximus
pensitationem quandam de Magistratu subnectere.
Sit, Numine supremo Regum Rege annuente,



Sectio I.

§. 1. **P**artes, ex quibus conflatur *Respublica*, sunt *Imperantes & Obtemperantes*, vel, quod eodem redit, *Majestas*, *Magistratus & Subditi*, *Magistratus* enim saltem in *Imperantium* numero reponitur collatus ad Inferiores, ratione autem *Majestatis* ad *Obtemperantium* revolvitur conditionem. Ex his itaque jam ad rationis libram appendendis, *Majestas* primum & potissimum *Reipubl.* membrum recto tramite *Reipubl.* naturam excipit; Quæ vox ex sententiâ *Festi* originem trahit à *Magnitudo*, aut potius ex mente *Becmanni* à *Majus*, ad eum modum, quo *Tempestas* à *Tempus* descendit. Multifariam autem sumi amat, aliquando *laxius*, ut quamcunque potestatem publicam designet, aliquando *pressius*, pro ejusmodi potestate, quæ superiorem in hoc terrarum orbe nescit; Et quia jam in ipsâ *Reipubl.* cardo vertitur, non rarerer eò significatus devenit, ut ipsam *Rempubl.* exprimat, quo sensu *Philosophorum Princeps Stagirites*, *Majestatem & Rempublicam*, ipsius voce *πολιτευμα & πολιτεια*, idem esse 3. *Polit. cap. 6. & idem significare cap. 7.* pronunciat; Sicq; ulterius *Majestas*, quæ refidet penes unum, *Monarchia*, quæ penes paucos, *Aristocratia*, quæ deniq; penes multos, *Politia* est. Hâc ratione tamen non ad præsentem rhombum quadrat, cum ad *Rempubl.* relapsi reverâ actum ageremus, sed potius hic spectatur, quatenus *Partis*, *Magistratui* ac *subditis* contradivisa, indolem induit, cumque iis totam *Rempubl.* integrat. Non autem permagni refert, sive nudum *Munus*, sive *Homo* insimul *Munere* præditus accipiatur, quanquam posterior significatus ad scopum nostrum *πρώτως* collineat.

§. 2. *Majestatis Naturam* docemur à *Philos. 3. Polit. c. 6. & 7.* definiente *Majestatem τῆς πόλεως πανταχῶς κρείον*, in *Civitate* ubique *summam potestatem*: Quæ plus in recessu habent, quam fronte promittunt, atque adeo emissitius oculis contemplanda. Dicitur *Majestas* 1. esse in *Civitate*, quæ est *Materiale* ipsius, discriminans eam ab aliis summis potestatibus, cujusmodi etiam antè in *Familiis* flourerunt, quàm *Civitates* constitutæ sunt. 2. *Summa potestas*, in-
quâ

quâ *Majestatis Formale collocatum est*; Talis autem nuncupatur, quia inter Mortales non agnoscit superiorem, nec ulli præterquam Deo Immortali subjecta est. Idquè 3. *Ubique*, sc. non tantum in quibusdam, sed in omnibus & singulis rebus. Non verò ad *Majestatis* essentiam facit Provinciarum multitudo, idem enim est, cum quisquam unius Provinciæ imperio præest, ita ut in omnibus & singulis rebus summâ ac independente gaudeat potestate, ac si plurius habenas teneret; Sicque *Materiae Quantitas* nihil derogat *Formæ*, quò minus perfecta sit, non secus quàm *Ecclesia minor* perinde habetur talis, ac major. Et hinc enitescit, quàm iniquè rursus cum *Philosopho* egerit *Bodinus*, quando ipsum prætermittæ definitionis l. 1. de *Republ. c. 8.* postulat, *Majestatem* ista tenus à nullo *Philosophorum*, nec *Jctorum* definitam afferens.

§. 3. Ex his in medium allatis deducitur 1. *Majestatem non admittere superioritatem, nec pluralitatem*: Nam est summum quid; Summum autem $\alpha\pi\lambda\omega\varsigma$ repudiat superius & multiplex, aliàs non foret summum: Quia non collocatum esset super omnia. Itaq; 1. *Quanquam illi, qui ad clavum Reip. sedet, in aliam Majestatem transfundere licet, tamen nequit fieri, ut illa penes Communicantem adhuc integra & tota reposita sit*, cum duæ in unâ eâdemq; *Republ.* emergerent *Majestates*, quod quàm insulsum sit, quemvis, qui *Politicam* primoribus labris delibavit, præterire non potest. Id tamen de *Consortio*, non *Exercitio Majestatis* acceptum volumus, hoc en. alicui delegari potest, ut nihil *Majestati* decedat. Unde porro exsculpimus, *Majestatem Monarchicam* inter duos prorsus æquales quâ *Statum Reipubl.* non persistere, verùm aut totum *Statum* in uno esse situm, communicatâ saltem *Administratione*, aut minimum subordinatis *Imperantibus* in uno maximè residere, cæterò quin *Aristocratiam* exoriri, aut *Monarchiam* plurificari. 2. *Impropria est Divisio Majestatis in Realem & Personalem, adducta à Kirchn.* *Disput. de Rep. 2. thes. 3. Besold. l. 1. Polit. c. 2. Althus. Polit. c. 9. n. 24. Christian. Matth. l. 3. System. Polit. Exercit. 2. f. 1. Reinh. Kön. Theat. Polit. p. 1. cap. 23. num. 11. J. Mart. l. 2. Polit. cap. 20. Siebenth. Colleg. Polit. Diss. 7. Thes. 3. &c.* *Realem* perhibent ipsi *Reipub. s. Regno* semper in hære, inque eâ persistere; *Personalem* in *Personam à Republicâ* conferri, & cum defuncto vel abdicato ad *Reipubl.*

publ. gubernacula sedente expirare, hâcque ratione à Personâ in
 in Personam traduci. Deinde illam hâc esse superiorem ad unum
 omnes notant; In quo autem sita sit, ulterius non explicatum
 eunt, præterquam tradunt, *Realis Majestatis* esse, & summa Potesta-
 tem constituere, & legitimas ob causas destituere. Duo ergo hic
 se offerunt: 1. *Majestatis Realis Existentia.* 2. *Quâque superat Per-
 sonalem, Eminentia.* De posteriore non est, cur adeò solliciti simus,
 dum prius negamus, interea videsis *Cellar. l. 2. Polit. c. 7. Thes. 23.
 & seqq. nec non Wendeler. l. 2. Philos. Moral. s. 2. c. 1. q. 1. S. 3.* Ratio
 autem negationis est 1. *Majestas non agnoscit superiorem, solo
 Deo T. O. T. M. excluso;* Idque juxta ipsius Partis adversæ Hy-
 pothesin. 2. *Majestas à Populo concessa, aut est absoluta, aut
 limitata;* Si hoc, utique non erit *Majestas;* Si illud, corrumpit *Re-
 alis Majestas.* *Distingvis:* Inter *Majestatem γενικὴν*, quæ tam
 limitata, quàm absoluta, & *ειδικὴν*, quæ κατ' ἰσοχίην & absolute
 talis est. *Contra:* Limitata *Majestas* implicatoria est. *Inquis:*
Summum κατὰ τὴν & in suo genere omninò dari, nec illicò contra-
 dictionem involvere. *Contra:* *Majestatem* esse ἀπλῶς summam,
 & omnem prorsus determinationem respuere in subsellio Politi-
 corum unanimi suffragio comprobatum usque adeò factum rectum
 remanet, donec probetur contrarium & determinata *Majestas.*
Adhuc instare prævideris. 1. *Majestatem Realem & Personalem* non
 esse simultaneas, verùm successivas. *Contra:* Simul atque sub-
 mota est *Majestas Personalis*, collabitur *Formaliter* Respubl. adeo-
 que nulla superstes esse potest *Majestas Reipublicæ:* Sublatis enim
 Partibus, tollitur & Totum; Et retrò. 2. *Esse Modos Majesta-
 tis.* *Contra:* diversificantur realitate majore, cum in diversis En-
 tibus subjeçantur. 3. Simul sumptas concurrere ad unam *Maje-
 statem* constituendam. *Contra:* *Majestatem Realem* esse Partem
 Totius *Majestatis* abire in Circulum, & *Majestatem realem* esse quid
Majestatis perinde dubium est, ac esse ipsam *Majestatem.* *Inquis:*
 vel ipsa *Experientia stultorum* pariter ac sapientum *Magistra* loqui-
 tur, dari *Potestatem* illam. *Contra:* Committitur *Ignoratio E-
 lenchi:* Nos inficiamur, non illam *Potestatem*, sed eam esse *Maje-
 statem*, quia ipsi non competit *Definitio s. Formale & Jura s. Puncta
 Majestatis*, cum saltem posita sit in constituendâ & destituendâ
Majestat

Majestate. Sed adhuc inquit: omnino posse cuncta Regalia exercere. Contra: Tum est Majestas Personalis, eaq; vel Aristocratica vel Politica, quæ vivo Principe à Republ. absuit, extincto autem illo rursus ad Rempubl. rediit, non enim conferri potest cumulativè, ut tamen Majestas maneat, sed abdicativè.

§. 4. 2. *Majestatem esse ἀνεύθυνον 2. Pol. c. 9. vel ἀνυπεύθυνον, nullis legibus obnoxiam 4. Politic. c. 10. Indèque Thomas 1. 2. q. 96. Quà δύναμιν ἀναγκαστικὴν, & vim Legum coactivam; Non vetò quàm vim Directivam: Hoc enim cum grano salis accipiendum, nec eò extendendum, ac si Majestatem deceat, qualia qualia perpetrare, sed distingvendum inter permissionem & obligationem, nam quod alicui concessum, quodque impunè fert, hoc non illicò honestum, aut ab eo quisquam omninò liber evadit: Est enim aliquid, quod non oporteat, etiamsi liceat, inquit Cicero pro Con. Ea propter discernendæ veniunt Leges Naturales à Civilibus: Legibus Naturalibus perinde obstricta est Majestas, atque subditus, quàm honestatem, non coactionem: Ut ita hoc saltem discriminis intercedat, quod inter Mortales Majestas devincta sit Legibus solo Virtutis amore, subditus verò & Virtutis amore, & formidine pœnæ. Quod ad Leges Civiles, secus ibi comparatum est, illis enim ut Majestas teneatur, tantum abest, ut potius salvâ honestate ipsi liceat Leges ferre, mutare, abrogare, & interpretari; cæteris tamen paribus, utpote spectatâ publicâ salute, nec non Lumine mentis observato, Probatnr: 1. non sibi sed populo fert leges. 2. Collocata est supra leges 3. qualis potestas in populo libero, talis principi concessa; Sed illa est absoluta cujusque rei: E.*

§. 5. *Hæc ex sententiâ illorum, qui Principem, quàm virtutes Ethicas, quàm Politicas considerant. Valent. Riemer. Qv. Illust. Juridic. Decad. 1. q. 7. Principem, ut Principem, & præcisè considerat; Et Legum nomine ipsi saltem veniunt Instituta Politica, atq; adeò ea, quæ suam autoritatem hominibus acceptam ferunt. Nam Politica πρώτως non naturæ vim & originem suam debent, sed institutioni humanæ, indeque nihil potest audire Politicum, nisi ab hominibus introductum fuerit: Id quod d. Autor innuere videtur, asserens δύναμιν ἀναγκαστικὴν, non ex jure naturæ, quàm leges munitæ sunt, cepisse, quippe quo omnes homines æquales sunt, nec al-*
ter

ter alteri subjectus, sed Jure Gentium. Et confirmatur, quia quod
 extra pomeria Politica situm est, nec *Majestatem*, nec *Leges* attingit.
 Oppidò itaque discernendæ sunt *Leges à Præceptis*, *Jus appro-*
batum à Jure absoluto, *Ethica à Politicis*, ne ad Politicam trahantur,
 quæ extra Sphæram illius constituta sunt, aliàs immittimus falcem
 in alienam messem, & commiscemus objecta disciplinarum, quod
 est μετὰβάσεως εἰς ἄλλο γένος. Animadvertit hæc etiam *Vvedeler*.
l. 2. Philos. Pract. s. 2. c. 5. Expl. § 1. Posthac agendum est (inquit) de
Legibus, non in genere, ut omnes ferme *Politici* hætenus fecerunt, sed in
 specie, hoc est, tantum de *Civilibus*, per quas tanquam per Instrumentum
Majestas aperit suam voluntatem subditis, eosdemq; retinet in officio.
 Quare cum quæritur, an *Majestas* soluta sit *Legibus*, omninò distin-
 ctione inter *Leges Naturales & Civiles* supersedere possumus: Ter-
 mini enim ambigui limitantur per substratam materiam, & quia
 dispalescit nos *Majestatem & Leges reduplicativè & Politicè* in confi-
 derationem vocare, ἀπλῶς affirmare nulli dubitamus, *Majestatem*
 omnibus & singulis *Legibus*, quæ vim coactivam, quæ directivam solutam
 esse, nec ulla prorsus ratione alligatam. Nec movemur in contrariam
 sententiam illo *Philosophi*: Qui legem præesse jubent, videntur Deum
 præesse jubere, & Legem, qui autem hominem, adjungunt & bestiam. 3.
Polit. c. 16. Hæc enim omnia (ut habet *Philosophus* pariter ac *Ju-*
risconsultus jam allatus) non loquuntur de propriè sic dictis *Legibus*, vi
 armatis, de quibus nostra, ut supra dictum est, loquitur questio; Sed de
 præceptis *Juris nature*, *Juris Divini &c.* quæ hæc vel ex conscientia vel
 honestate merâ obligant. Illud autem annotandum videtur, *Rempu-*
blicam considerari præcisam tam ab ὀρθῆ s. rectâ, quàm ἠμαρθημένῃ
 s. corruptâ, in quâ potest esse bonus *Politicus*, quanquam non est bo-
 nus vir. Unde evenit, ut quisquam violare posset *Legem Natu-*
ræ, & tamen non rectè diceretur peccare in *Rempublicam*. Hinc
 porrò elicimus, *Majestate* integrâ non frui, qui tenentur *Legibus*
Fundamentalibus; Nec illicò esse *Reges*, & *Regnum* aut *Majesta-*
tem possidere, qui *Reges* salutantur, & *Regni* aut *Majestatis* utun-
 tur appellatione, docente *Philosopho* 3. *Polit. cap. 16.* *Electivam* item
 & *Temporariam Potestatem* quantam quantam non esse plenam *Ma-*
jestatem, quia non omnibus *Legibus* soluta est, ita ut ipsi integrum
 sit, quodlibet audere.

§. 5. Con-

§. 6. Convenit hic dispicere, *an Majestas Juramento se obstringi patiatur?* Quod *Arniseus* excutit, distinguendo inter *Juramentum ad Leges, & Honestatem*. Illud est, cum regno se obstringit, omnem vel tantum aliqualem Legibus stipulando obedientiam, adeoque limites sibi ipsi figendo; Hoc se legibus naturæ honestatisque obstringit, sc. honestè vivere, nemini injuriam immittere, suum cuique tribuere. Require *Autorem c.l. Doctr. 2. Polit. c. 11, pag. m. 213.*

§. 7. *Crimen læsæ Majestatis* vocatur non quodvis in Majestatem commissum, sed quo immediatè Magistratus læditur & violatur, idque dicunt duobus potissimum modis designari: 1. Cum quisquam hostile quid adversus eos, qui Majestate gaudent, molitur. 2. Puncta Majestatis sibi sumit.

§. 8. Facit huc trutinare, *an Tyrannicidium sit concessum, an verò Crimen læsæ Majestatis?* Præaccipimus, nobis non quæstionem fore de Tyranno occupatione vel titulo saltem, cum hic Fato constitui videatur; Nisi legitimus Rex, aut ejus Successor superstes fuerit, tum enim adhuc subditi ipsi obstricti sunt, adeoque tenentur Tyrannum, qui vi regnum ad se rapuit, è medio tollere. Sed intelligimus Tyrannum administratione & exercitio; Non autem quemvis, ut qui 1. non legitimam Reipublicæ curam gerit, sed blandimentis voluptatum inescatus & demulsus negotia Reipublicæ negligit. 2. Vitiis privatis contaminatus est: Ut enim *Virtutes*, quæ Regem decent, triplices sunt: *Theologica*, quæ Religionem concernunt; *Ethica*, ex Lege naturæ haustæ; Et *Politica*, quæ Rempublicam, ejusque administrationem spectant: Illæque Majestatem reddunt bonum Christianum; istæ bonum virum; Et hæ bonum Regem: Negatis item Virtutibus Theologicis & Ethicis, adhuc qualitercunque stare possunt Politica, exempli causâ non repugnat, Regem esse hæreticum, omnisque generis vitia anhelare, & nihilominus omnes Reipubl. partes optimè tenere. Ita retrò intelligere est, Regem vitia non Privata vel Theologica, vel Ethica, sed publica & Politica efficere Tyrannum. 3. *Tyrannica agit*, vel *Actus Tyrannicos exercet*, non tamen *Tyrannicè agit*, & *Habitu* obtinet: Sicut enim fieri potest, ut aliquis injusta agat, tamen injustus non sit, si ex *Habitu* talia non committat, docente Philo-

B pho

pho 5. Eth. c. 10. Ita etiam potest Rex Tyrannica agere, ut tamen non Tyrannice agat, & Tyrannus evadat: Qualem vivis coloribus depingit Philosophus 5. Polit. c. 11. Talem intelligimus, eumque κατ' ἐξοχὴν s. exuperantiam, quando Tyrannis in feritatem abit, quæ hominem à seipso excidere, & tanquam Circeò imbutum poculo, abjectâ rationis χειρὰ γωγία, in beluarum degenerare conditionem, eâque perpetrare facit, quæ alioquin τῆ φύσῃ humanus animus horret, quod genus homines fuere Nero, Caligula, Heliogabalus &c. Hi (ut verba Erasmi in de Verb. & Rer. Cop. 2. mea faciam) præter hominis rationem, nihil reliqui obtinuerunt, sed degenerarunt libidine in ursos, ferocitate in sues, ferocia in leones, crudelitate in tygres. Ejusmodi Tyrannum qui vitâ exuit, non Majestatem, sed bestiam & perniciem Humani Generis vitâ expulsam Plutoni tradit; Apollinis cujusdam adinstar, serpentem, qui terrarum orbi interitum intentabat, sagittis transfodientis. Nec hoc quenquam intra dubitationis aleam ponere autumo, nisi & ipse feritatis æstro percitus, dignus sanè non aliter refutari, quàm ut hujusmodi Tyrannidis jugam utque adeò ferat, donec ad sanam mentem revocetur. Et oppidò elumbe foret ratiocinium, si quis prætenderet, Tyrannum esse pœnam à Deo immissam: Nonne quoque rabiosa bruta Homini inimica sunt pœnæ divinæ? Quid dicam de Hostibus, Ecclesiæ & Patriæ, fortean ne ipsis quidem est resistendum? A nobis stat ipse Philosophus, qui l. 2. Pol. c. 7. pronunciat, ἄς τιμὰς μεγάλας, & ἀποκτείνῃ τις, & κλέπτῃ, ἀλλὰ τύραννον, illos honores, esse maximos, si quis interemerit, non furem, sed Tyrannum: Cujus vestigia legunt Svaretz defens. cap. 4. s. 7. & 16.. Althus. Polit. cap. 14. & seqq. Keckerm. l. 1. system. Polit. c. ult. Reinking. l. 1. Class. 1. de Regim. Secul. Imp. Rom. c. 5. Bodin. l. 2. de Repub. cap. 5. in princ. Quibus etiam accinere videtur Cellar. l. 2. Polit. c. 4. Thes. 45. & seqq. Item Hænon. diss. Polit. 2. thes. 16. pag. 39. Magistratu falsam Religionem per vim & Tyrannidem obtrudere molito, consulit Ordines s. status Republ. adire, eorumque opem implorare. Et pag. seq. inquit, ad illorum officium pertinere, ut Magistratum Tyrannum factum primò verbis & rationibus corrigant, & viâ juris, re adhuc integerâ, si quidem absque armis Tyrannidem exerceat, cum eò experiantur (juxta Bodinum d. l.) deinde autem vi & armis armatum

coerceant. Item pag. 74. tradit, facile summoveri posse Electum, si limites præscriptos excedere voluerit. Pollicem ipsi premit Schönborn. l. 2. Polit. cap. 1. p. m. 87. Et VVendeler. l. 2. 2. Philos. practic. s. 1. cap. 4. q. 1. S. 1. p. m. 579. Idque confirmari videtur, quia 1. Magistratui non est concessum Dominium in animas. 2. Religio est cultus Dei spontaneus. Jam autem fixum certumq; est, quamlibet personam, munere aliquo fungentem, extra limites muneris fore etiam extra illius jura constitutum. Inde porrò deducitur Qv. *an Lucretia ad eripiendam suam castitatem licuisset Tarquinium vitâ devolvere? An item Clito, vim Alexandri vi repellere? &c.* An potius *Majestati* quælibet potestas coepris, vitæ & necis in subditos concessa, & quæcunque tam defensoria, quàm vindicatoria æquè subditis occlusa?

Sectio II.

§. 9. *Majestas*, si præsertim Monarchiam intueamur, duobus confertur modis: τῆ ἀριστοκρατίας, *Electione*. 2. τῆ γένεσι, *generatione vel successione*: Ut constat ex 3. Pol. 4. *Electio* expeditur per libera Eligentium suffragia; Estq; vel *illimitata*, quâ citra respectum Nationis, Stirpis, vel aliarum conditionum, eligitur, quicumque ad Magistratum gerendum videtur maximè idoneus; Vel *limitata* ad certam nationem, Stirpem, aliasque Leges & Instituta. Præstat autem *Electio* Particularis Universalis, omnibus promiscuè commissæ, nam & illa potest esse à toto populo, *Timpler. 2. Pol. c. 2.* In hâc verò illud in commodum occurrit, quòd non omnes intelligent Virtutes Regias; Faciendum item videtur, ut Electores se juramento obstringant, se neminem, quem non omnium dignissimum censuerint, citra ullius pacti, largitionis, aut amicitiaè respectum denominare velle; Ut in electione à Personis eligendis indefinitâ, certis tamen legibus coarctentur, ad retundendas vixas & dissensiones; Utque Viri adhibeantur prudentiâ & virtute gravissimi, quibus vota non emendicentur, & quibus in eligendâ Personâ datum est perspicere, illius mores & ingenium. Quod si observatur, incautè *Electionem* non ex usu Reipublicæ esse causantur, ingeminare soliti, ex *Electione* propullare dissidia, muneribus

ribus extorqueri & expalpari suffragia, spem item eligentium saepenumero decollare. Vide Schönborn. l. 2. Pol. c. 1.

§. 10. Conficitur Electio per suffragia, quæ æstimanda veniunt, non ex quantitate & pluralitate suffragantium, sed ex naturâ & qualitate suâ; Vel per sortes. Hunc modum approbamus cum Bodin. l. 6. de Republ. cap. 5. Siquando ea flagitat necessitas, ut nec ratio, nec consilium adhiberi possit, aut æqualitas Eligendorum, suffragiis, virtutibus, aliisque requisitis parium; idque ad contemptus suspicionem & discordiarum semina evellenda. Discretionem etiam Sortium opus est, ne admittantur, quibus via technis sternatur. Keckerm. Curs. Philos. post Disput. 29. Probl. Politic. 15. Cæteroqui Sortes improbamus cum Caso Spher. Civit. l. 4. c. 14. Nam insignis temeritatis est, rem tanti momenti atque ponderis cæcæ fortunæ aleæ prostituere.

§. 11. Eligendi sunt Personæ per legem & vim naturæ capaces, adeoq; à gubernatione eliminandæ sunt Fœminæ: Quia 1. Muliebri imperio reclamatur Scriptura, jubens viris parrere Fœminas. Genes. 3. Ephes. 5. Coloss. 3. 1. ad Timoth. 2. 1. Petr. 3. Et loco gravissimæ pœnæ denunciatur Gynocratian. Es. 3. 2. Natura, quæ ἡγεμονικώτερον effecit marem in omni genere Animantium 1. Polit. c. 4. & 8. Quare contra naturam est, ut fœmina, quæ secundum naturam mare ignobilior 1. Polit. cap. 5. Imperet maribus, tanquam naturâ melioribus & ad imperandum aptioribus. 1. Politic. c. 12. Nobis adstipulatur Aristot. l. 1. Politic. cap. 8. & passim. Tolosan. lib. 7. de Republ. c. 11. Bodin. lib. 6. de Republ. c. 5. Dana. l. 3. Polit. Christ. cap. 3. Goclen. Qv. Ethic. 91. Keckerman. System. Polit. l. 1. c. 2. Melch. Jun. Qv. Polit. 13. Schönborn. l. 3. Polit. c. 12. Hænon. disput. Polit. 3. thes. 17. Arnif. l. 1. Polit. Doctr. c. 9. VVendeler. l. 2. Philos. Practic. s. 1. c. 4. quest. 2. In contrariam abeunt sententiam Cas. l. 1. Spher. Civit. c. 3. Lips. l. 2. Doctr. Civil. cap. 3. Piccolom. Grad. 6. Philosoph. Moral. cap. 10. Timpler. l. 2. Polit. cap. 2. quest. 9. & c. Quorum Argumenta diluit Arnif. d. l. p. m. 226. & seqq. Præterea in Eligendo respicienda veniunt 1. Bona animi, ut Virtus & Eruditio. Quibus de prolixè Hænon. d. l. the. 18. & seqq. 2. Bona Corporis, qualia sunt ætas, proceritas corporis, & forma; Item Facultates, Familia & c. adi Eundem.

§. 12. *Successio* contingit 1. *ratione generationis*, quando sc. filii & filiorum proximi in imperio succedunt, & inter illos quàm maximè ex consuetudine Gentium Primogenitus, ne vel forma Reipublicæ multitudinem Imperantium mutetur, vel Regnum dividatur: Tutius enim est, ut primogenito potior imperii pars tribuatur; reliquis autem filiis fratribus istius primogeniti quædam ditio honestave conditio detur, ut se suamque familiam honorificè exhibeant. Alioquin illi movent seditionem aut etiam de imperio occupando cogitant. Schönborn, l. 2. Polit. c. 11. Dico autem 1. *Filios succedere*, non ut excludam fœminas, sed ut saltem postponam, ubi sc. speciatim moribus introductum est, illas masculis deficientibus succedere; Cæteroquin enim adhuc valere arbitramur, jam §. præcedaneo adducta. Et 2. *inter illos Primogenitum*, per quem intelligo natu Majorem, defuncto Patre, sive ante acquisitum à Patre regnum, sive post illud, sive alius sive nullus post eum natus fuerit; interdum tamen postponi potest, ut si à Parente rejectus, aut mente captus aut aliis modis indignus, cui imperium concedatur. Nulla enim hic est ratio, quæ vel legem vel consuetudinem ad dedecus & calamitatem Reipublicæ interpretandam esse suadeat. 2. *Desponsationis*. 3. *Emptionis*. 4. *Permutationis*. 5. *Donationis*, idque vel inter vivos, vel per testamentum. 6. *Occupationis*.

§. 13. Disquiritur à Politicis, num electio prevaleat Successioni? Negant Tholosan. lib. 6. de Republ. cap. 4. & 12. Bodin. l. 6. Polit. cap. 5. Cas. 3. Polit. c. 11. q. 2. Lips. lib. 2. Civil. Doctrin. c. 4. Keckerm. l. 1. System. Polit. c. 4. Schönborn. l. 2. Polit. c. 9. Hænon. disp. Polit. 3. thes. 35. Affirmat Philosophus Polit. c. 11. Thom. de Aquin. in h. l. Prætor. Theatr. Polit. l. 1. c. 2. Cellar. l. 2. Polit. c. 3. Wendeler. l. 2. Philos. Pract. s. 1. c. 4. q. 1. Et magis æquum videretur, imperatorum multis è multis eligi. Tholos. l. 7. de Republ. c. 1. Dana. l. 5. Polit. Christ. cap. 3. Kirchn. Republ. Disp. 4. Thes. 2. Nam per successionem plebique ad imperium evehuntur Homines ἀνατάρφροντοι 5. Pol. c. 10. Et Heroum filii noxæ; cum fortunæ bonis confisi à primis unguiculis obedientiam Præceptoribus detractent. 4. Polit. c. 11. Hinc perniciosum est qualescunque natorum succedere 3. Pol. c. 15. Deinde in purpurâ educatus, nec alterius imperium expertus, igno-

rat, quomodo in Principes affecti Subditi, aut quid sibi ab illis fieri cupiant; Quod tamen quàm maximè requiritur. *d. l.* Nos loquimur *1. in Thesi non Hypothesi. 2. De potiore, & eo, quod per se est* Et hoc pacto accedimus *Philosopho.* Quod si quis prætenderit, Patrem Reipublicæ studiosum filio minus idoneo regnum non traditum fore: *R. Aristot. l. c. Non facile est hoc credere: Arduum enim ac Majoris virtutis, quàm secundum humanam naturam, cum secundum naturam neminem magis diligere Pater possit, ac filium, qui quasi pars patris est. 5. Ethic. cap. 10.* Proinde in neminem, quàm in filiū regnum secundum naturam transfert. Cætera, quæ adversa pars causatur, videsis refulsa apud *Wendeler. l. 2. Philos. Practic. s. 1. c. 4. q. 1. §. 2.*

Sectio III.

§. 14. Quotuplex *Respublica*, totuplex quoque *Majestas*, quippe à quâ *πρωτος* pendet & denominatur. Idem *E.* est quære, num detur *Respublica mixta, ac Majestas mixta?* Quod *Respubl. Mixta* dari nequeat, ostendi videtur. 1. Aliàs forent in unâ eademque Republicâ plures *Majestates*, quod implicatorium est. 2. Aliàs duæ res specie diversæ & completæ ad unum aliquod constituendum jungerentur, quod iterum contradictionem involvit. 3. Contraria non possunt stabulari in uno Subjecto; *Monarchia & Politia* sunt. *E.* Nos in contrariam sententiam descendimus: *Partes Majestatis* sunt realiter distinctæ, unde non repugnat ipsis divisio; Confirmat hoc itidem experientia. Ad primum argumentum *R. N. C.* *Mixta* est *Respubl.* non per multiplicationem *Majestatis* in unâ eademque civitate, sed per illius divisionem; non ratione totius *Majestatis*, sed ipsius partium. Ad secundum *R.* *Dist.* inter *Ens per se & per Accidens.* Ad Tertium *R.* *Axioma* illud ritè limitatum nihil obstare.


§. 15. Nec aliter se habet quæstio, *Quenam Rerumpublicarum sit optima?* *Reipublicæ formæ considerandæ vel ratione subjectæ materiæ*, quod diligenter inculcat *Philosophus l. 4. Polit. c. 12.* Nam pro alio atque alio genere hominum etiam imperiū constituendum. Quippe verè *Politicum* non tantum nosse oportet, quæ *Respublica* sit simpliciter optima, sed etiam quæ optima sit huic vel

vel illi civitati, ceu tradit *Arist. 4. Pol. 1.* Si verò Rerum pub. formas ratione sui contemplerur, pro mixta militat *Petrus c. 7. Pol. cum 1.* Legum propter singularem cujusque diligentiam singularis observantia & cura vigeat 2. summa ibi sit stabilitas, simplex autem potentia confestim degeneret 3. omnes constringantur Legibus 4. sit antiquissima, quæ Aristoteli in primis placuit, urgenti, ut Rex unâ cum Lege imperet. *3. Polit. c. ult.* Sit ex tribus Rerum public. formis conflata; quarum proinde nobilitas, dignitas & utilitas in hac unâ felicissimè conjungantur. Contraria tamen sententia pro Monarchiâ pugnans tam verior, quàm communior est. Nam 1. est perfectissima. Simplex enim & individuum firmitus est compositio & dividuo; & quò res proximius ad unitatem accedit, eò est perfectior, & quò longius ab eâ recedit, eò imperfectior evadit; juxta illud: Virtus unita fortior est dispersâ. 2. Citius reperitur unus virtuosus & æqui observans, quàm plures, tradente *Arist. 3. Polit. c. 7.* 3. Ab ipso Deo in IV. Monarchiis, nec non Repnb. Judæorum instituta; adeoque antiquissima: Principio rerum, gentium, nationumquæ Imperium penes Reges erat. *Justin. l. 2. c. 1. Cic. l. 3. de lege. Tacitus l. 1.* Nec non frequentissima, quod testantur Regna cujusvis seculi. Hinc *Arist. 12. Metaph. c. ult.* ubi entia non malè gubernari velle ostendit, ita subjungit: *ἕκαστον πολυκοιρανικόν, εἰς κοίραν*, i. e. Non est bonum multorum imperium: unus princeps sit. Rationes tres priores in contrariam partem adductas destruit Probatio nostra; Quarta potius in Monarchiam quadrat; Quinta fallit, non enim copulantur mixtæ Respublicæ ex totalibus & diversis, sed partibus Majestatis unius, quæ simul unam constituunt. Nec est quod urgeatur, Monarchiam viam virtuti præcludere, & torpori fenestram aperire, cum tamen juxta Philosophum optima ea sit Respublica, in quâ virtus regnat, omniâque ad virtutem tanquam ultimum finem diriguntur: Nam quia æmulatio locum non habet, torpent ingenia suis tantummodò rebus intenta. Probatur: 1. summa rerum gubernacula solus Imperator sibi vendicat. 2. Cum vita, fortuna subditorum, bonorumq; collocatio penes Monarcham solum resideant, inæqualiter præmia & pœnæ distribuuntur, fortunâ & favore Monarchiæ, non doctrinâ vel merito ita ferente. R. II. in Aristocratiâ & Politiâ lata porta invidiæ

invidiæ & superbiæ aperitur: Nam quia nullus est summus, quicumque Majestatem ambit 2. N. G. quasi enim absque Majestate nulla possent esse discrimina & præmia virtutum. *Inquis*: In Polyarchiâ oculi, in Monarchiâ oculus videt. *Contrâ*: Hoc in Monarchiâ compensant consilarii. Sunt tamen qui singulis pro cuiusque ratione Palmam deferunt; ita ut optimam gubernationem statuunt Monarchiam stabilitate; Aristocratiam æquitate; Et Democratiam utilitate.

§. 16. Huc refertur illud: *Num Majestas in Imperio nostro Romano-Germanico sit Monarchica?* Duæ sunt de hodierno Romano-Germanico extremæ sententiæ; Altera Monarchiam, altera Aristocratiam tuendam suscipit; Tertia mediâ incedit viâ. Potissimæ rationes, quibus Monarchiam probare nituntur sunt hæ: 1. Quia jura Majestatis resident penes unum & solum Imperatorem. 2. Omnibus & singulis Imperii ex plenitudine Cæsareæ potestatis imperat, & quidem sub pœnâ. 3. Omnes & singuli imperatori obedientiam debent. 4. Principes & status Imperii præstant homagium non tantum fidelitatis, sed & subjectionis. Ab Aristocratiâ stantes his se muniunt argumentis: 1. Principes Universi cum singulis Principibus, tum ipsi Imperatori leges ferunt; Sed Leges dare est Majestatis, non accipere per legem *Princeps ff. de LL.* Imò Principes & constituendi & destituendi Imperatorem potestatem obtinent. Exemplo est *Adolphus & Venceslaus*, 2. quia Imperator Leges Universales solus condere non potest; id quod constat ex formula in Recesibus Imperii receptâ: *Als haben wir uns mit den Ständen / und sie wiederumb mit uns nachfolgender massen verglichen.* At leges universales ex plenitudine potestatis condere est supremæ Majestatis Symbolum. *Bodin. 1. de Republ. c. 10.* 2. Imperator ex ordinum decreto jus belli indicendi solus non habet; At jus belli indicendi est infallibilis nota majestatis. *Schleidan. l. c. 14.* Imò prohibetur, eas pecunias, quæ ad bellum gerendum colliguntur, attingere. *Bodin. d. l. 4.* Imperator potestatem exigendi & imponendi telonia & vectigalia non habet. *Reichs Abschied Anno 1576. §. Wetters sind wir auch.* 5. Judices Camere de formâ, capite ac fortunis omnibus Imperatoris cognoscere queunt. Tertia opinio; quâ cum nos facimus, statuit Imperium hodiernum esse mixtum

xtum ex Monarchiâ & Aristocratiâ. Ad oculum commonstrant
 id rationes utrinque veræ, at non simpliciter, sed secundum quid;
 adeoque evincentes saltem quicquam Monarchicum & Aristocra-
 ticum adesse; non verò totum: Unde dispalescit extremas senten-
 tias committere fallaciam consequentiæ, nec non dicti secundum
 quid. *Sed Instas* 1. dist. inter rem & modum rei, inter ipsum imperiũ
 & modum imperandi; vel ut illi loquuntur, inter ipsum Reipub. sta-
 tum & imperandi formam. *Contra*: status nequit manere Monarchi-
 cus, quia summa potestas non residet penes unum. 2. Inter ipsam Ma-
 jestatem & jura ex eâ fluentia. *Contra*: jura illa essentialiter sunt ipsa
 Majestas. *Adhuc queritur, utrum Monarchia, an Aristocratia præpon-*
deret? arbitramur admodum prævalere Monarchiam: Nam in
 illis ipsis Juribus Majestatis, de quibus Proceres participant, Im-
 perator potissimas obtinet; Nec appellabimus ipsum aulæ Impe-
 ratoriæ statum; sed quibus magis est perspectus, de hoc ulterius
 cognoscendum relinquimus. Interim arridet nobis mens *Liben-*
thalij æstimantis Imperium nostrum Monarchicum esse salutan-
 dum: *A potiori enim fit denominatio.*



COROLLARIA.

I. **E**X principiis Gnostologicis & Primis *Conceptus*
Generici demonstratur: 1. Substantiam & Accidens
 non esse Modos Contractivos Entis. 2. Hominem
 cum Bestiâ non ferre Genus Proximum, quod â vulgo salu-
 tatur *Animal*; Facit huc *Dominicus de Flandria l. 10. Me-*
zaph. QV. 12.

II. *Tropus* non negat veritatem rei; Quodq; Tropicè
 est, verè & realiter, non falsò & fictitiè est.

III. *Causa Permittens* in se non est vera causa, perinde
 ac *Causa per accidens*: Quâ ratione itaq; quicquam vocatur

C

Causa

Causa per accidens, etiam vocari potest *Causa Permittens*;
Licet non sit vera *Causa*.

IV. Gravius peccat, qui violat *Legem Civilem*, quam
qui violat *Legem Divinam & Naturalem*.

V. *Majestas* instituta est à DEO, non obstante illo.
1. *Corinth. 7. v. 23.*

VI. Particulare est, *nihil esse tam absurdum, quod nul-*
lus Philosophorum statuerit, nam e. g. *Propositionem Sin-*
gularem esse Indefinitam, ista tenus à nullo Philosophorum
traditum est.

VII. De *Legis Formali* non est *Ratio*: Quia nihil
potest esse Politicum, nisi Humanâ institutione gaudeat,
Ratio autem non innitur Autoritate Humanâ: Ideòq;
Lex ut Lex à Ratione præscindit, & ipsius Formale in pro-
mulgatione *Majestatis* collocatur & subsistit. Confirmatur,
quia *Respublica corrupta* æquè est talis, ac *Recta*, Tyrannus
item æquè Rex, ac Monarcha; Et consequenter in-
ferendum de *Lege*. Idem deprehenditur in *Virtute*. Con-
trarium contendentes confundunt *Ethica & Politica*,
quod constat ex *Disputatione*. Inquis: Etiam *Ratio corrupta*
perinde foret *Ratio & valeret*, atq; *sana Ratio*. Contra:
Irrationalem arguit *Rationem* hæc consequentia, confun-
dens fundamenta *Rationis & Legis*.

IIX. *Virtuti ut sic* convenit proportio Geometrica,
non obstante eo, quod non conveniat *Justitie Commuta-*
tive.

In Sublimiorem DEI Glo-
riam!

C 2.

No-

Nobilissimo Domino
LEUCHTMAR
summi Parentis Egregio Filio, de Majestate dis-
putaturo Amico Charissimo ex animo
gratulatur

Fridericus von Jehna Anhaltinus:

N*E*cessa, LEUCHTMAR, cunctos intendere ner-
vos,

*Ut Patris ex aequis nomina magna tui;
Hujus in exemplum flagrante cupidine surge,
Servitum rebus Principis atq; DEI
Principis atq; DEI rebus servire tenebat,
Et Majestati gratus utriq; fuit.*



Nobilissimo Domino

LEUCHTAMAR

Summi Patris Gregorio Filio, de Massafra dilectissimo Amico Christianissimo ex animo gratulatur

Fidelicus Johannes Anhaltinus:


Necessa Leuchtamar, cuius orationes meae

Ut Patris exequi nomina magna in se habet

Huius in exemplum paginam cupidine surges

Principis ad Dei rebus ferre tenent

Et Massellari gratulatur



In Sublimiorum Dei Glo

00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244



R

Worm







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

REGII 37
TICI
SEXTA,

TATE,

leberrimaq; Mar-
cademiâ,
aximo adspirante,
philosophicâ suffragante,

DE
clarissimo
GREBENIZ,

o, Fautore & Præce-
devenerando,
dem collectam dispu-
roponit

o horisq; constitutis,
RICUS à KALCHUM
ICHTMAR,



NERI, An. 1654.